DE
S. SPIRITVS
ADVENTV.

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio.

AD SANCTISSIMVM D. N.
INNOCENTIVM XI.
PONT. MAX.

AB ANTONIO BANCHERIO
PISTORIENSI,
Sem. Rom. Conuict.



Romæ, Typis Francisci de' Laz. fil. Ignatij. 1687.
SVPERIORVM PERMISSV.



SANCTISS. D. N. INNOCENTIO XI. PONT. MAX.

ANTONIVS BANCHERIVS FELICITATEM.




TIBI sisti petit Oratio mea, qui Virtutibns Tuis quidquid illa balbutit, eleganter eloqueris. Per deciduas Diuini Spiritus flammas Sapientiam, & forti-

titudinem, quas ambas virtutes ſplendor, & calor deſignant, in filios adoptionis effundi proponit illa, probatque. Eius propoſitionem ſapientiſſimus ipſe, fortiſſimusque abundè confirmas. Vnicam Reginam Sapientia Salomonis Solimam aduocauit; Tua Principes complures, Regios Legatos, totum fere Orbem Romam adduxit. Tua verò fortitudo, veluti tuo pectore maior, adeoque redundans totam fere Europam in Othomannicum Imperium obarmauit. Animam Mundo magnam per totos Terrarum ſinus, Celique tractus diffuſam ineſſe, Philoſophi quidam ſpecioſo mendacio putauere; quidni Anima Mundi magna INNOCENTIVS XI., cuius vi totius chriſtiani orbis alitur vita; toti

exer-

exercitus ad bella, & victorias animantur? Quando autem Orationem meam virtutibus Tuis adeo iuuas, vtinam Oratorem iuues nobili Patrocinio.




Imprimatur,


Si videbitur Reuerendiss. Patri Sac. Pal. Apost. Magist.

Steph. Ioseph Menattus Ep. Cyren. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sac. Apost. Pal. Magist.





ORATIO.





ENSILE isthoc, BEATISSIME PATER, quod super capita Apostolorum videmus incendium, non otiosum aëris ostentum est; non luminis inanis pompa: non ludibrium sideris coruscantis. Ludit quidem in or-

orbe terrarum Deus; ſerio tamen ludo, nec ſine fructu. Qui Turbæ precantis verticem coronat, Ignis, eiuſdem mentem illuſtrat, animum firmat. Hæc duo potiſſimum bona, quæ nobis profanus Amor ademerat, felix iſta flammarum, & Spiritus vehementis procella, nempe Diuinus Amor, in genus humanum effudit, Sapientiæ lumen, quo mens illuſtretur, vires quibus animus obfirmetur.

Et ſanè deſipere homines, atque eneruari, cum profanis indulgent amoribus, ſatis Samſonis, & Salomonis exempla confirmant. Quale fuerit Samſonis robur, priuſquam Dalilæ amoribus irretiretur, Deo authore cognouimus. Immaniſſimi Leonis lacerauit rictus, ferociam præfocauit. In vrbe hoſtili depræhenſus, cum inde euadere nequiret, ſublatas cardinibus Vrbis fores impoſuit humeris, aliôque tranſuexit baiulus triumphalis. Vilem maxillam

ro-

rotans, circumfusam hostium multitudinem nouo teli genere per ludibrium cecîdit. Talem, tantumque virum vastatorem nemorum, terrorem Vrbium, aduersantis quotidie populi domitorem, Samsonem, vnus Amor profanus infregit. Hinc cædes capillorum, oculorum strages, debilitas lacertorum. Qui Samsoni Vires, idem Salomoni Sapientiam vitiosus Amor ademit. Sapientissimus certè Salomon, donec licito contentus, vetitos amores non coluit. Tunc Reginas famâ sui nominis acciuit: tunc Reges sua maiestate ad obsequium compulit: tuuc optimis legibus aulam composuit: tunc demum adorando Numini Ædem solo cœlo minorem sacrauit. Postquam verò regiam dignitatem ad ignobiles amores depressit, illicò sapientiam sibi sublatam doluit. Tunc Idolis delubra condita: sata nemora nutriendæ superstitioni deuota: regijs curis præhabitum otium voluptuosum.

Pro-

Profani Amoris damna recenſuimus, Fortitudinis iacturam, & Sapientiæ. Contra quotquot Amoris Diuini flammis incendimur, Fortitudine locupletamur, & Sapientia. Qui, rogo vos, homines fuere magis, aut rudes, aut imbecilli, quam Apoſtoli nondum Pentecoſtem experti feliciter incendiariam? Triennium totum, & amplius corporatam Sapientiam audiuerant: audientes tamen non audiuerant, nec intelligentes intellexerant. Iidem debiles adeo, vt ad Ancillæ voculam perhorruerit omnium Princeps Petrus; reliqui ſatellites fugerint/à quibus non quærebantur. Vix autem eorum capita innocens ignis inſedit, eorum corda diuinus Amor incendit, cùm Vates non intelligunt modo, ſed fiunt, plura hominum millena Diuinas litteras edocent, & ſacram Theologiam. Pauidi quondam, modo ſatellites rident, Reges prouocant, crucem inuehunt in capitolium. Ne verò huiuſmo-

di

di vim poſt illa Apoſtolorum tempora deferbuiſſe putetis. Eadem nunc Sapientia, eadem Firmitas animi ortodoxam Eccleſiam munit, vtpote quam idem diuini Spiritus ardor incendit. Videmus quotidie perditorum hominum artes Sapientiſſime detegi, hoſtium impetus Fortiſſime propulſari. Vidimus Galliæ finibus hereſim Sapienter eiectam, Turcarum in Auſtria conatus Fortiter nec ſemel eluſos, totam fere Vngariam Cæſari redditam, & Vaticano. Non hæc Principum federatorum vis eſt, ſed Amoris diuini. Qui duodecim hodie Chriſti aſſeclas ſapientia, & fortitudine obarmauit Spiritus fortitudinis, atque conſilij, idem ſacri huius belli Ducibus Sapientiam, Robur militibus impertiuit, impertietque, donec veterem Romam Bizantium adorabit.

